



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Finis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Abere deprehendatur, ut inde sibimet exitium parat. Nam & Orpheus principem libidinis locum talum ait, sed idem mystice, uti suus est mos. In cœna Domini discipulorum lavantur pedes, ut scilicet ablutis animorum fordibus, ad Eucharistiæ donum mundi nitidique procederent. In Jacobi & Esau partu philosophatur Philon, firmissimæq; mentis, quippe optimi luctatoris, esse opus ait tenere calcaneum: nam id animum indicat, qui vitio dominetur. Calcaneum enim, ut alibi sæpe, infirmæ vitiôsæque naturæ indicium est.

FINIS. CAP. XLVIII.

Est etiam pes absoluti operis indicium: ad calcem enim dicimus, cum ad finem perventum esse vel operis, vel negotii, volumus indicare. Et Adamantius, ut alibi dictum novissimum in Deo nobis incognitum esse, apud Esaiam ostendi eo argumento dicit, quod Seraphin duo alis inferioribus Dei pedes obtegebant.

INIQUITAS. CAP. XLIX.

Anguineos alibi diximus Gigantum pedes effingi, cruraque obtorta, & quodammodo deluxa, propterea quod tota aberrant via, qui celo bellum inferre parant. Pedes igitur ita male affecti, iniquorum operum indicia sunt. Nam uti recti pedes quatuor animalium in Divinis literis apud Ezechielem memorantur, ob eorum quæ in Evangeliiis habentur veritatem, ita retorti pedes de pravis dicitur ingeniis atq; maleficiis: non enim recte pedes dirigunt, diceret Ambrosius, qui posteaquam semel in viam redire, ad scelera mox & iniquitatem revertuntur, & tamquam Sus lota primo quoque tempore repetunt luti volutabrum, & ut Lucretius ait,

Insatiabiliter toti volvuntur ibidem.

Sane apud Psalmographum, impiorum ambulationes obtortas esse, ambagibusq; circumactas, invenies, *Psalm. 125.*

AGGRESSIO. CAP. L.

In statuis vero pes lævus ante porrectus, aggressionis indicium est, quo ita firmato, gestum ajunt ad invadendum aptum: quod dexteri pedis agilitas ictum, quo quo versus quis incubuerit, juvet. Sinister enim sua quadam peculiari tarditate, totius est veluti corporis firmamentum, ac quasi centrum, circa quod alterius pedis alacritas & promptitudo verferetur exerceaturque, & quasi rotæ curvatura axi per radios innixa circum agatur, parti unicuique laboranti opem allatura: quod non ignoravit Maro noster, ubi libro x. Lucagus Æneam ferire parat: projecto nam pede lævo aptat se pugna. Hoc etiam in numis, ubi martis ultoris inscriptio est, sæpe comperias: nam & Philosophi consentiunt, motum à dextris partibus oriri. Atque ego Romæ in Mediceis ædibus pulcherrimi operis statuam observavi, quæ speciem hanc in aliquem invadendi, lævo projecto pede, præ se ferebat. Militaris præterea disciplinæ Magistri commonent, si missilibus agatur, sinistros pedes ante haberi à pedibus: ita enim vibrandis spiculis vehementiorem esse ictum. At si res, inquiunt, agatur gladio, pes proferendus, ut propinquior dextera sit ad vulnus inferendum. Sed utcumque illi, apud Maronem tamen eodem ipso congressu, quem paulo ante dicebamus, *striatum rotat acer Luc. Encl. l. 10. cagus ense.*

REGRESSUS. CAP. LI.

Non ierim tamen inficias, regressum dextero porrecto pede figurari: quia qui loco se moveat, necesse habeat à dextero pede motum auspicari. Ita signari videas numos *FORTUNÆ REDUCTUS*.

IGNAVIA, VEL REQUIES.

CAP. LII.

Et quoniam gestus ab histrionibus in primis observabantur, inde factum, ut hieroglyphica nonnulla inde desumpta sint, quale illud pro otio & desidia, pedem supra pedem statuere, qui gestus pedum, in aliquot sepulcrorum imaginibus, sed pro quiete habetur. Sane Aristophanes cum otiantem meditantemq; Euripidem describeret Acharnanibus, famulus ejus interrogante Dicaopoli an intus esset